12

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

AMAUROSI.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GULIELMUS ROSS,

Scotus,

CLASS. BRITANN. CHIRURG. ET COLLEG. CHIRURG.

REG. LOND. SODAL.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT C. STEWART,

Academiæ Typographus.

MDCCCXVIII.

JOANNI WEIR M. D.

REI MEDICAE IN CLASSI BRITANNICA

PRAEPOSITO

OB DILIGENTIAM ET FIDELITATEM

IN

OFFICIIS GRAVIBUS FUNGENDIS

DE PATRIA OPTIME MERITO

IPSI

SCIENTIAE MEDICAE CULTORI

STRENUO

NEC MINUS CULTORUM EJUSDEM

BENE MERENTIUM

FAUTORI

HANC DISSERTATIONEM

EXIGUUM OBSERVANTIAE TESTIMONIUM

D. D. D. QUE

AUCTOR.

CAROLO LESLIE M. D.

APUD FRASERIBURGUM

MEDICINAM SUMMA LAUDE

FACIENTI

OB MORUM COMITATEM BENEVOLENTIAM

ANIMI DOTES EXIMIAS ET VIRTUTES

OMNIBUS AMABILI

HOC OPUSCULUM

DICANDO

CONSILIORUM ATQUE BENEFICIORUM

MEMORIAM SERVARE

STUDET

GULIELMUS ROSS.

ERRATA.

Pag.	4.	*L.*	24.	*Pro*	uterque	*Lege*	utraque.
——	15.	—	1.	—	altero	——	altera.
——	19.	—	9.	—	graviter	——	gnaviter.
——	21.	—	7.	—	tunc	——	tum.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

AMAUROSI.

INTER malorum catervam, quae oculos obsidere, aciemque ipsam toties opprimere solet; Amaurosis vel Gutta Serena, genus mali pertinacissimum, locum primarium tenet. De hujus autem natura, signis, et curatione, in paginis sequentibus, disserere proposui.

Morbus ita verbis celeb. Culleni definitur, "Visus imminutus vel prorsus abolitus, sine "vitio oculi evidente; plerumque cum pupil- "lâ dilatatâ et immobili."

Morbi, qui signa tam varia et abnormia

exhibeat, res erit apprime difficilis, historiam accuratam tradere, signorum verò maxime notatu digna, insequens enumeratio complecti reperietur.

SIGNA.

Morbus utrumque sexum, aetatem verò provectam praecipuè, vel mediam occupat; in junioribus subinde apparens, rariùs in pueris et infantibus. Dolor capitis, plus minusve profundus et vehemens, modò caput totum, modò latus ejusdem alterum vel tempora solummodo infestans; tinnitus aurium, vertigo, molestiae sensus, vel dolores ad fundum oculi, sub motu ferè aucti, saepe Amaurosin praenuntiant vel comitantur.

Uterque oculus ferè simul afficitur, vel si quando alter primò tentatus sit, brevi ad alterum morbus transit. Nonnulli verò, acie oculi unius amissâ, ad diem usque mortis alterum incolumem servarunt. Oculi citiùs solito fatigantur; et aliis auctus retinae sensus, aliis hebetudo ejusdem, prima inter indicia notantur. Variae rerum imagines, ob oculos

versari videntur. Quidam flammulas vel scintillas, dum se in lectum reciperent, vel corpore subitò inclinato, primùm conspexerunt. Nonnullis maculae aureae, aut versicolores, primò evanescentes, paulatim stabiliores evasurae, visum perturbant. Puncta nigra muscas referentia, et lineae pilorum similes, huc et illuc volitare videntur, quae, morbo ingravescente, non secus ac species supra memoratae, magnitudinem nacta, tandem visum penitus delent.

Aliquando annuli quasi nitentes, vel horum simul plures, catenulae specie, vel globuli, aquae instar in vitrum inspersae, visum infestant; omnes autem postea in nigritiem conversi.

In exemplis quibusdam, tela reticulata oculis praetendi visa, et citò post lumen prorsus periit.

Res ipsae visibiles variè in diversis hominibus cernuntur; veluti duplices, multiplices, in fragmenta partitae: nonnullis sol, vel lucerna radiis non suis circumfundi videntur.

Exempla memoriae tradita sunt, quibus,

sub initium morbi, visus, dum fatigatio aut fames urgeret obscurior, cibo verò aut cyatho vini assumpto, statim clarior factus est. Quidam occaecati sunt, sine capitis dolore; et plerumque ubi dolor praegressus sit, effecta tandem caecitate, protinus cessat. Morbus sub initium interdum periodicus observatur, ita ut aegri per intervalla satis bene videntis, iterata accessione, plus minus oculus hebescat. Haec valetudo saepe in caecitatem desinit; interdum prospera sine auxilio medicinae evadit.

Signa jam memorata ab historia quam aeger ipse tradat, ferè colligenda sunt; nulla enim externa semper et ubique morbum indicant. Pupilla quidem dilatata et immobilis saepe comitatur, non verò (ut recte notat Cullenus) pro signo perpetuo habenda est. In exemplis enim pluribus a Richtero et aliis memoratis, Iris non secus ac in oculis sanissimis sese contrahere et dilatare videbatur, accurate lucis copiae respondens; quin et egomet, paucis abhinc annis, puerum lumine prorsus orbatum curavi, cui Iris uterque mobilitatem omnino illaesam servabat.

Ipsius pupillae interdum figura et color mutationem quandam subeunt. Illa modo angulata, modo ovata, vel è centro iridis dimota observatur; color autem, nitore amisso, speciem nonnunquam pallidam aut subviridem induit; aliquando sed rarius splendescere videtur. Vascula sanguifera tunicae choroideae saepe turgescunt, et varicosa apparent, et siquando inflammatio partes oculi internas, praesertim iridem occupet, zona vasorum radiata corneam incingit, et ramulos ad marginem ejus introrsum dimittit. Dolor oculi vehemens, lucis intolerantia et febricula simul aegrum tenent. Strabismus vel quaedam visus obliquitas, et paralysis palpebrae superioris aliquando amaurosin comitantur, vultu speciem hebetem et meticulosam prae se ferente.

Multùm variat spatium quo caecitas diversis hominibus accedat. Aliquando visus subitò vel intra horas viginti quatuor amissus est, aliquando menses vel annos integros paullatim labascit, prorsùs tandem periturus.

CAUSAE.

Hic morbus multas et valdè diversas causas agnoscit; omnes verò ad classes duas generales redigi possunt.

Ad primam referre liceat, causas quae retinam vel nervum opticum compressione afficiant, vel fabricam eorum laedant aut corrumpant. Ad secundam commodè referuntur, quae retinam citra laesionem mechanicam debilitant, sive proximè organo ipsi admotae fuerint, sive aliis corporis partibus, oculosque non nisi per consensum afficientes.

Primae seriei annumerari possunt, tumores in cerebro enati, et thalamos nervosque opticos comprimentes; humor effusus, vel in sacculis contentus, et partes illas occupans; vis externa capiti illata, et denique exostoses ossium quae orbitas componunt. Porrò ex nervo optico eroso vel extenuato, Amaurosis existere comperta est. Singulorum horum affectuum exempla, in scriptis pathologicis Clarr. Morgagni et Boneti re-

periantur[1]. Exemplum insigne a priore memoratum est, ubi retina in laminam osseam penitus conversa erat[2].

Frontis vulnera quae lacerant, aliquando hoc vitium intulerunt. An unquam plaga a chirurgo facta ad dolores nervorum levandos? Sanguis in cerebro congestus, vel auctus impetus ejusdem caput versùs, saepe Amaurosin gignunt; et circulus arteriosus, qui vocatur, praeter modum sanguine distentus, praesertim ad partem anteriorem, a Dom. Ware, causa morbi, palpebrae superioris paralysi stipati habetur[3]. Nisus omnes vehementiores, praesertim si caput simul inclinetur; quidam animi affectus, veluti ira vel gaudium; diuturnus et immodicus liquorum meraciorum usus, valde ad effectus eosdem conducunt. Exinanitiones solitae, menstrua nimirum, vel haemorrhoi-

---

(1) Vide Sepulchretum, sect. 18. obs. 8—23. Morgagn. de sedibus et causis morb. Ep. 9, 13, 52, 63.

(2) Ep. 52. art. 30.

(3) Vide Chirurgical Observations Relative to the Eye, tom. 2. p. 107.

des suppressae, et ut nonnulli dicunt, graviditas, praesertim sub finem, inter causas excitantes recensenda sunt. Ex partibus oculi internis inflammatione tentatis, vitium retinae suboritur, difficile sanatu, nisi gnaviter occursum fuerit; hujusmodi quidem affectio, podagram vel rheumatismum excepisse affirmatur, statimque abiisse quum morbus primarius sedem solitam iterum occupasset. Exanthemata de cute subitò retropulsa nonnunquam Amaurosin intulisse dicuntur.

Ad classem secundam relegari possunt, affectus animi deprimentes, nimia mentis exercitatio, studium immodicum, Venus effrena. A consensu qui ventriculum inter et partes corporis speciales intercedit, turbata munera illius saepe cum his communicantur: hinc visus imminutus, qui fit nonnullis, a ventriculo malè se habente, pendere videtur; his, enim, a laesis, vel levissimè, ventriculi functionibus, oculi nonnihil hebescunt. Irritamenta igitur, et omnia quae organa concoctioni cibi inservientia conturbent, infirmentve, huc referre licet. Quaedam ve-

nena in ventriculum demissa visum obtundunt, aut quodammodo impediunt; hujusmodi effectus a datura stramonio, digitali purpurea, aliisque narcoticis, satis equidem nimis saepe videre solemus. Affectus quidam spasmodici, veluti hysteria, et morbus comitialis, cum hic diu perstiterit, aegerque paroxysmos iteratos jam passus fuerit, saepè aciem oculorum eripiunt.

Exinanitio nimia, veluti jactura sanguinis, et qualem nutrices experiri solent, corpus valde infirmat, et oculi nonnunquam affectum generalem participant.

Ex fulgure vivido quidam subitò lumine orbati sunt; nonnullis id genus, visus post plures dies restitutus est, sed longè maxima pars, nunquam exitum tam felicem experiuntur. Radii solis a splendente arena, vel nive reflexi, aliquando malum lentius, haud sanè minus periculosum, excitaverunt.

Quorum oculi in lectione, vel in rerum minutarum, refulgentium, aut colorum vividorum contemplatione fuerint nimis exercitati, saepe caligine plectuntur: Hinc astro-

nomicis, fabris quibusdam praecipuè metallorum, et studiosis, vitium familiare existit.

RATIO SIGNORUM.

Facilè intelligetur ratio, quâ tumores, exostoses, et similia, thalamos nervosque opticos comprimendo, commercium liberum retinam inter et sensorium commune impediant, et stuporem illius inducant; idemque fere effectus, a nimio sanguine in vasis cerebri congesto, oriri potest. Scintillae, guttulae aureae, varii colores, quae aliquando conspiciuntur, aucto sanguinis impetui, retinâ simul nimis sentiente, tribuenda sunt. Haec opinio eo nititur, quod palpebris clausis, si pressura subitò oculis admota sit, circulus flammeus sentitur.

Muscae volitantes, a portiunculis retinae sensu orbatis oriri, apud medicos existimatae sunt. Auctor verò nuperus, in morbis oculi plurimum versatus, harum rationem planè diversam reddere conatus est: secundùm

illum, species illae pendent a nimia sensibilitate retinae, quae ita se habens, tam male afficitur a villis tenuissimis tunicae choroideae, et materiis illinc effusis, ut imagines falsae inde oriantur: * Opinio satis ingeniosa, sed omnino conjecturalis.

Difficile erit, retinae torporis, a functionibus ventriculi turbatis, verisimilem reddere rationem, atque de re tam obscura, fas erit verba clar. Whytt citare. "I think it "probable," ait ille, "that many anomalous sympathies, whose cause appears obscure, proceed from the general sympathy "which prevails through the whole nervous "system; and which, in certain cases, in "consequence of the uncommon weakness "or delicacy of a particular organ, makes *it* "suffer, although the other parts of the body are not sensibly affected." †

Visus duplex et strabismus, a paralysi musculorum oculi quorundam oriri videntur.

---

* Vide Ware in Medico-Chirurgical Transactions, tom. v. p. 255.

† "Whytt on Nervous Diseases," p. 80.

Pupilla dilatata, signum tam frequens Amauroseos, apud medicos plerosque, consensui speciali iridem inter et retinam tributa est, cùm illius mobilitas plerumque, pro rata parte, sensibilitati hujus respondet. In exemplis verò perpaucis, etiam lumine prorsus orbatis, iris mobilitatem solitam servare observata est; nonnulli igitur rem aliter explicare aggressi sunt, et sententiam occasioni accommodatam protulerunt; nempe, iridem vasis et nervis propriis instructam, nihil communis cum retina habere, sed radiis lucis in eam proximè cadentibus in motum cieri; ideoque minimè necesse esse motum huic simul ac sensum retinae deficere, nisi fortè nervi iridis eodem morbo impliciti fuerint.

Pupilla irregularis, angulata, e centro iridis dimota, adhaesioni partis iridis posterioris cum capsula lentis tribuenda est.

Caecitas ab exinanitione, partim fortasse ab auctâ generis nervosi irritabilitate, partim a vasculis retinae minus distentis, explicari potest; quoniam visus perfectus, a plenitu-

dine justa vasorum illius membranae quodammodo pendeat.

DIAGNOSIS.

Cataracta vel caligo lentis, fortasse unicum est oculi vitium, quîcum Amaurosis confundi potest. Quum lens ipsa vitiatur, a colore albido, specieque striata, et sede opacitatis proximè post pupillam, facilè dignoscatur. Nonnunquam verò, capsula lentis posterior opaca fit, et haud levis est negotii rectè dijudicare, Amaurosis an cataracta causa sit mali: ad morbi igitur historiam respiciendum est. Cataracta a centro lentis initium capit, opacitas aequè diffunditur, paulatim augescit; aeger in crepusculo quam luce vivida meliùs cernit, eo quod pupilla sub vesperem ampliùs pateat, et copiam majorem lucis ad retinam pervenire sinat. In Amaurosi contrà, quo clarior lux, eo visus perfectior devenit.

Extractum belladonnae, modum facilem, cataractam inter et Amaurosin dijudicandi

praebet. Si aliquantulum hujus, cum pari aquae quantitate commistum, inter palpebras immissum, vel in arcum superciliarem oblinitum fuerit; brevì pupilla ad limitem ultimum ampliari videbitur, dumque ita se habet, facilè situm et ambitum opacitatis, si qua adsit, conspicere possumus; visus quoque clarior fit si cataracta, magis turbatus si Amaurosis existat. In nonnullis cataractâ laborantibus, iris cum capsulâ lentis adhaesione connectitur, ita ut aegerrimè reperiatur an sensus adhuc retinae supersit, an chirurgi manus opem etiamnum ferre valeret. Si verum sit, quod auctores affirmant, pressuram oculo admotam, retinâ incolumi, semper lucis imaginem, torpente verò nullum hujusmodi sensum excitare, auxilii haud parum foret ad statum oculi deprehendendum *. Dum oculum introspiciamus, oportet lucem ab oculo sano excludere, si alter solummodo laboret; ob consensum enim inter binos intercedentem,

* Vide Monteggia Istituzioni Chirurgiche, tom. iv. p. 311.

iris oculi affecti cum altero motum concipere solet.

PROGNOSIS.

Prognosis, a genere causae excitantis, mali diuturnitate, modo quo invaserit, et specie quam oculus ipse ostendat, praecipuè ducenda est.

Si morbus paulatim, in senibus praesertim obrepserit; si aggressus epilepsiae iteratos insecutus sit, si ex vi capiti illatâ, vel laesâ fabricâ oculi ipsius originem duxerit; denique ubi fundus oculi, more insolito pallescit, splendescit, vel aliquam coloris mutationem subiit, prognosis ferè infausta dicenda est.

Contrà, ubi causae nullae praegressae fuerint, quae fabricam nervorum opticorum, vel retinae corrumpere potuissent; ubi retina, luce admotâ, adhuc stimulum agnoscit; ubi malum subitò invaserit, nec diu perstiterit; porro ubi pupilla colorem nigrum et

nitidum servat; spes adhuc visus instaurandi superest. Vitium ex animi affectibus, vel turbatis ventriculi muneribus originem ducens; quod plethora generalis, vel sanguis in cerebro congestus gignant; vitium quoque ab exinanitione nimiâ, malum denique periodicum, saepe levamen aut medelam accipere possunt.

CURATIO.

Ex causis supra recensitis, quae morbum inferre solent, ratio satis constabit, quare nunc remedia evacuantia, nunc prorsus contraria, interdum vix ulla profutura sunt.

Si Amaurosis igitur a compressione pendeat, plurimum interest ut certò sciamus tumores an exostoses, an congestio sanguinis hanc effecerint; nulla enim remedia hactenùs comperta sunt quae priores tollere valeant. Praeter autèm signa quaedam utrisque communia, congestio, rubore faciei et oculorum, arteriisque temporum valde

micantibus, satis manifeste se prodit. Cognitâ igitur mali causâ, si congestio adsit, oportet remedia adhibere, quae vasa exonerandi et statum morbosum summovendi vi polleant. Detractio sanguinis, si aeger plethoricus sit, generalis; sin minus, specialis admodum conveniet: plerumque vero cucurbitulas cum ferro quam proximè capiti imponere juvabit. Hoc modo copiam sanguinis satis amplam elicere, et detractionem iterum iterumque, pro viribus aegri et morbi pertinaciâ repetere possumus.

Purgantia post sanguinis missionem multum commodi promittunt, ubicunque sanguis in vasis capitis praeter modum accumulatur; tum ob humoris ad intestina derivationem, tum quia prohibent ne vasa prius repleantur, quàm robur suum et vim resiliendi recuperaverint: oportet autem ad intervalla idonea et saepius repetita sint.

Vesicatoria capiti vel partibus oculo vicinis imposita, sanguine jam detracto, nonnihil profuerunt, nec suis laudatoribus carent. Setacea, exinanitionibus aliis haud parum auxiliantur,

quicquid verò beneficii ab illis petendum sit, vix nisi usu diuturno sperandum : medici haec quam vesicatoria magis profuisse testantur.

Hydrargyri qui olim contra amaurosin subindè usurpatus fuerat, empiricè fortasse tunc temporis, nec ulla adhibita ratione vel morbi causae vel modi quo remedium profuerit, nuper apud medicos ocularios valde increbuit usus. Quamvis ratio adhuc satis obscura sit, quâ effectus tam salutares edat, multa tamen experientia haud levitèr profuisse docet; mihi quidem contigit, aciem pluribus hoc remedio restitutam novisse. Pilula hydrargyri (qualem Pharmacopaeia Edinburgensis praecipit) una vel altera, mane quovis et vespere devoranda est, et aeger sic perseverare debet, donec corpus universum medicamento imbuatur, alvus interea, ope purgantium leniorum, laxa servari debet.

Spatium quo morbus superari possit, multùm in exemplis diversis variat; aliquando curatio hebdomadas sex, aliquando menses plures occupat.

Diaeta tenuis ex frugibus plerumque confecta, evitatis aequè liquoribus fermentatis et spirituosis, curationi huic optimè conveniet. Lux et in hac et omni specie amauroseos, ita temperari debet, ut quam minimè aegri oculos offendat.

Eadem fere methodus instituenda est, ubi partes oculi internae inflammantur; cum autem visus maxime periclitetur, quàm graviter et maturrime vitio occurrendum est, ne caecitas prorsus insanabilis superveniat. Ad sanguinis igitur missionem, et generalem et specialem inprimis confugiendum est; purgantia, non secus ac aliis phlegmasiis, magnopère huic opitulantur. Hydrargyrus, tanquam auxilium praestantissimum, a Doctore Farre summâ laude celebratur.* Pilula quae habet grana duo submuriatis hydrargyri, bis in die, ita ut brevì saliva leniter fluat, cum effectu felicissimo adhibetur. Aliquando opium cum submuriate conjungere expediet,

---

* Vide Saunders on Diseases of the Eye, edit. 1816, in praefat.

ad oculi dolorem, vel tormina intestinorum sublevanda.

Si inflammatio longa sit, eodem remedio opus erit, sed minore copiâ, et ad spatium multo longius, vel ut verbis ejusdem auctoris utar, " till the action of the vessels be permanently changed." *

Si menses, haemorrhoides, vel cutis eruptiones repressi sint, et morbus inde oriri existimetur ; eosdem remediis idoneis revocare conveniet ; cum autem vitium ad congestionem pertinere videatur, evacuantibus optimè curabitur.

Amaurosis ex rheumatismo vel podagra suborta, affectus fere inflammatorius est, et auxilia eadem ac inflammatio primaria postulabit.

Quando Amaurosis a debilitate pendeat, sive haec sit generalis, sive retinae solummodo ; alia curatio aliaque remedia necessaria sunt, quae vim parti laboranti, corpori robur concilient. Cum ventriculi et intestino-

* In loc. suprà citato.

rum functiones turbatae, saepissime causa et pars morbi existant; remedia quae actionem illorum sanam reducere valent imprimis usurpanda sunt; cui consilio vomitoria a Richtero et Scarpa plurimùm commendantur.

Vomitus rectè cietur quandocunque ventriculus materiâ corruptâ gravatus sit, tunc quia talem materiam evacuando proficiat, tum quoque agitatione quam corpori universo impertiat; saepius autem repetitus, ventriculo potius nocere quam opitulari videtur. Purgantia mitiora, praegresso vomitu, alvum melius deplent, quodque excerni debeat, per vias naturales educunt.

Pilulae a Clar. Schmucher resolventes dictae, quarum effectus in ventriculo et intestinis ex tartrate antimonii provenit, vix aliis medicamentis minùs compositis anteponendae sunt, quae leniter alvum ducunt. Sunt qui affirmant hydrargyrum huic pariter ac morbi varietatibus suprà memoratis profuisse, et pilulam caeruleam alternis noctibus devorandam praecipiunt; status vero generis nervosi turbatus, hujusmodi valetudinis ferè semper

comes, usum remedii herculei sine cautelâ vetat.

Si quando verò, aliis frustra tentatis, periculum instituere visum fuerit, purgantia leniora interponi subindè oportebit.

Ex remediis roborantibus, cinchona, amara, ferri praeparata, ad ventriculum firmandum viresque corporis reficiendas, non suis usibus carent.

Antispasmodica, quorum exempla sint valeriana officinalis, aether sulphuricus, ammonia, gummi-resinae, ad perturbationem generis nervosi sedandam adhiberi solent.

Arnica montana a Collin et aliis celebrata, exemplis quibusdam profuisse dicitur; parum verò apud nostrates, famam suam sustinere valuit, et hodie nec fortasse immeritò, negligitur.

Prae omnibus autem medicamentis, ratio vitae bene ordinata, huic morbi varietati praesidio erit. Diaeta ex materia facili concoctu; exercitatio corporis modica, balneum demum frigidum, aliis roborantibus praestant. Regimen quoque mentis haud levis

erit momenti ad vires corporis reficiendas. Quaecunque animi trepidationem vel moerorem aut solicitudinem ciere possint, summâ cura vitanda sunt, quaeque hilaritatem concilient, operâ haud minore colenda.

Talis curatio omnibus conveniet, quos valetudo conquassata, vel functiones ventriculi turbatae urgeant. Vitium a nimio oculorum usu, fulgure et similibus oriundum, remedia extrinsecùs praecipuè expetit: hic igitur locus erit remedia hujusmodi recensendi, quae pluribus morbi varietatibus communia sint.

Aura Electrica saepe cum eventu felici adhibita est. Scintillae vel rivus continuus, ex partibus oculo vicinis educi solet: hoc in se commodum habet, quod non aliorum medicamentorum usui obstet. Dicitur imprimis Amaurosi fulgure inflictae profuisse; semper vero morbum a congestione sanguinis vel inflammatione exasperasse; in hoc igitur evitanda est. Ammoniae vapores a clar. Scarpa haud leviter celebrati sunt; admoveantur ita oportet ut oculos attingant, et do-

lorem lachrymasque excitent; idemque fieri debet manè et vesperè per aliquod temporis; hoc remedio Scarpa monet se complures sanâsse. Est aliquando utile, partes circa oculos oblinere medicamento quod habeat tincturam camphorae cui pauxillum tincturae cantharidis adjectum fuerit. Vesicatoria minus huic quam alteri morbi speciei prosunt; interdum verò ita imponere conveniat ut dolorem cieant et rubedinem, citra tamen humoris profluvium.

Errhina, quae fluxum muci copiosum e naribus eliciant nonnunquam utilia: quorum usus eò nititur, quod membrana narium mucosa in amaurosi arescere solet, profluvium verò muci in exemplis nonnullis visum reducem comitari observatum est.

Pulvis asari compositus, vel hujus grana XL. cum granis V. subsulphatis hydrargyri flavi fluxum muci copiosum promovet, aliquantulo scilicet naribus omni vespere hausto.

Capsicum annuum quendam sanavit cui caecitas sex menses perstiterat; aliquantu-

lum infusi fructûs inter palpebras instillatum, retinam torpentem excitâsse videtur; valde autem remedium stimulans est, vix quidem tutò admovendum oculis.

De malo quod affectus spasmodici pepererint, judicet medicus an a plenitudine nimia vasorum, an a debilitate ortum fuerit, et inde curationem alterutri accommodatam instituat. Morbus periodicus nunquam cinchonâ profligatus est, nisi vomitus et dein purgantia liberè prius usurpata fuerint; his vero praegressis, effectum similem ac in febribus intermittentibus saepe ostendit.

Remedia praecipua jam recensui quae contra amaurosin praecipi solent; fatendum tamen est, ea non pariter in manibus omnium profuisse. Multum forsan eventus infausti usui medicamentorum intempestivo tribuendum est; et majus adhuc ingenio mali, nulla vi remediorum, nulla medici arte, semper debellandi.

FINIS.

Excudebat C. Stewart.